



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vita S. Libori[i], Cenomanensis Qvondam Episcopi: Nunc  
Paderbornensivm Tvtelaris Divi**

**[S.I.], [ca. 1650]**

Capvt VIII. S. Libori[i] Reliquiæ petratæ. Primum ad eas Odoris  
fragantißimi miraculum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45568**

## CAPVT VIII.

S. Libori Reliquia impetrata. Primum ad eum  
Odoris fragrantissimi mirauum.

**I**GTVR anno Dominicæ in-  
carnationis octingesimo tri-  
gesimo sexto, Indictione XIII.  
cum præfatus Ludouicus tertium  
& vigesimum in Imperio annum a-  
geret, legati Paderbornenses de Sa-  
xonia profecti, ad urbem Cenoma-  
nicam quartam Kalendarum Maiarū  
die venere: insinuantesque Episco-  
po causam, pro quâ missi fuerant,  
benignè ab eo suscepiti, Dei nutu, ut  
credimus, sine morâ petita impe-  
trauerunt. Sequenti namque die  
conuocans omnem Clerum, præ-  
sente suo quoque Coëpiscopo, Da-  
uid nomine, tractare cum eis dili-  
genter cœpit, qualiter Missorum de-  
tam longinqua regione venientiū,  
religiosis precibus in hoc decenter  
posset annuere, ut sancti alicuius in-  
tegros

tegros, ut petebant, artus accipere  
mererentur. Erat ibidem sanctorū  
corporum magna copia: inter quæ  
sancti Liborij quondam præfulis e-  
iusdem vrbis præcipue glorificatū  
miraculis habebatur insigne. Quod  
cūm Episcopus præfatis nuncijs da-  
re disponeret, reniti primò cœpē-  
re plurimi, dicentes se illis pignori-  
bus preciosius nihil habere. Tandē  
vix omnium impetrato consensu, *En quan*ts**  
assumptis secum Sacerdotibus, & *estimatae*  
cuiuscunque gradus Clericis, sacri *pijs nostris*  
ministerij vestibus ornatis, Missos *maioribus*  
quoque, qui sanctos artus acceptu-  
ri erant, adesse præcipiens, processit *Reliquie*  
ex vrbe ad Ecclesiam, in qua sacra-  
tissimum beati Liborij corpus di-  
gno cum honore conditum ha-  
bebatur. Erat autem Ecclesia iuxta  
ciuitatem posita, & in honorem  
duodecim Apostolorum dedicata,  
quam primus eiusdem sedis præfus,  
nōmine Iulianus, condidisse fertur.  
Ad hanc itaque memoratus Epi-  
scopus

*Apparatus*  
*Præfus*  
*Cenomanicū*  
*& Sacerdo*  
*tum, ad ele*  
*uationem*  
*corporis D.*  
*Liborij pro-*  
*cedentium.*

D 3 scopus

## 54. TRANSLATIO

*Indicta ie-* scopus denunciato prius ieunio,  
*iunia.* cū sacro illo comitatu humiliter ac

deuotè, vt ad tale opus decebat, per-  
*Hymni &* rexit, vicissim Psalmos, Litanias,  
*Canus fa-* Hymnosq; decantans. In quam cū  
*cri.* ipse & plures secum, sacros artus de-

*S. Libori* mausoleis leuaturi, cōuenissent, mi-  
*sepulchrum* rūm dictu, sensere cuncti inæstima-  
*aperitur.* bilis odoris suavitate totam domū

*I. Miracu-* repente completam. Qui dissimilis  
*lum.* odoramētis omnibus, quæ in terris

*Odor inde* vel naturâ vel arte fiunt, clarum cæ-  
*diuinus ex-* lestis cuiusdam præsentiae dedit in-  
*spirat.* dicium. Ita enim omnium, qui ade-  
 rānt, mentes magis quam corpora

ineffabili iucunditate immutauerat,  
 vt velut in extasi positi, & aliarū re-  
 rum obliti, tantum ibi manendi de-  
 lectione tenerētūr. Nec dubium,  
 quin ipse tunc fuerit in medio mul-  
 torum fideliūm, in suo nomine cō-  
 gregatorum, qui paucis quondam  
 discipulis tātam suę visionis dulce-  
 dinem præbuit, vt primus eorum

*Mas. 17.4.* diceret: *Domine bonum es nos hic esse.* Nec  
 erat



erat incongruum, ut eorum meritis  
odoris fragrantia testimonium da-  
ret, cum quibus Apostolus dicit:

*Christi enim bonus odor sumus Deo.* Erant 2. Cor. 2. 15.  
autem in eodem loco aliorum quo-  
que membra Sanctorum, in Sarco-  
phagis honestè recondita, maximè  
Episcoporum Ciuitatis illius. Ex SS. Pauatij  
quibus tunc simul, cum beati Libo- & Gundan-  
rij Corpore, datæ sunt Reliquiæ nisoli Reli-  
Pauatij videlicet, atque Gundani- quæ S. Li-  
soli. Per totum autem illud diei &c.  
spatium, quo sancti Liborij mém-  
bra de tumbâ leuata, in feretro lo-  
canda componebantur, prædictus  
odor nunquam defuit: quò minùs  
dubitaretur illi operi ministerium  
præbuisse, quo cœpto, inchoauit:  
quo finito, non diutiùs  
mansit.